

IV

AD L. SEXTIVM CONSVLAREM

*Archilochio-iambicus*

Solvitur ācris hiems grātā vice v̄eris et Favōnī,  
Trahuntque siccās m̄achinae carīnās ;  
Ac neque iam stabulīs gaudet pecus, aut arātor īgnī ;  
Nec prāta cānīs albicant pruīnīs.

Iam Cytherēa chorōs dūcit Venus imminente lūnā ;  
Iūnctaeque Nymphīs Grātiae decentēs  
Alternō terram quatiunt pede, dum gravēs Cyclōpum  
Vulcānus ardēns ūrit officīnās.

Nunc decet aut viridī nitidum caput impedīre myrtō,  
Aut flōre, terrae quem ferunt solūtae.  
Nunc et in umbrōsīs Faunō decet immolāre lūcīs,  
Seu poscat agnā sīve mālit haedō.

Pallida Mors aequō pulsat pede pauperum tabernās,  
Rēgumque turrēs. Ō beāte Sextī,  
Vītae summa brevis spem nōs vetat inchoāre longam.  
Iam tē premet nox, fābulaeque Mānēs,

Et domus exīlis Plūtōnia ; quō simul meāris,  
Nec rēgna vīnī sortiēre tālīs,  
Nec tenerum Lycidān mīrābere, quō calet iuventūs  
Nunc omnis, et mox virginēs tepēbunt.